



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

8 Clericus non potest esse fideijussor, tamen si fideijubeat remanet obligatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

facto, aut signis, excommunicationis, aliasque sententias censuras, & pœnas ecclesiasticas etiam in Bulla cœnæ Domini contentas contemnendo, prohibeat, ne laici ecclesiasticæ interviant jurisdictioni; quapropter ecclesiarum Prælati clericis, etiam in sacris, & presbyteratus ordinibus constitutus in procuratoris fiscalis, & notariatus officio uti coguntur, & ipsi de servire tenentur, quicquid agunt, est validum. Bart. in l. universos, num. 2. C. de decur. lib. 10. & Rom. cons. 409. numer. 7. & 8. prout, licet clericus ꝑ a fidei iurisdictione prohibitus, cap. te quidem. 11. quest. 1. tamen fidei iurisdictione tenet fidei iurisdictione. gloss. in d. cap. quidem, in fin.

Quartò, ꝑ sacerdotes à Christo ad ministerium salutis sunt electi, & propterea Regum, aut aliorum Principum, ubi sanguinis sententia præparatur, iudices esse non possunt: & si quis sacerdotum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud CHRISTUM, & depositionis pœnam incurrit, cap. sapienter principes. 23. quest. 8. cap. cler. vel. mon. & ibi Abb. num. 1.

Nec Episcopi Principibus debent inservire, sed se à Principum servitute abstinere, & tam in ecclesia, quam foris suum gradum, & ordinem præ oculis habere, ac ubique, se patres, & pastores esse noscere debent. Concil. Trident. cap. 17. sess. 15. de reform. cap. Valentinianus, 63. dist. cap. duo sunt, & cap. si Imperator. 96. dist.

Possunt ꝑ tamen Prælati, & clerici esse consilarii Principum secularium, Abb. in d. cap. clericis, numer. 10. & ita in pluribus Regum, & Principum curiis servatur, & optima quidem ratione: nam

cùm regia potestas sit longè inferior ordinis sacerdotali, d. cap. duo sunt, cap. si Imperator, in fine. licet ministeria Papæ, & Imperatoris sint distincta; auth. quomodo oportet. eod. cap. duo sunt. & cap. solita. de maior. & obed. in concernentibus tamen animarum salutem, de quibus ubique tractatur, piè agunt ꝑ Imperator, Reges, & Principes, qui inter alios, etiam Præfules ecclesiasticos sibi consiliarios adhibent, cum Imperatores Christiani subdere debeant executiones suas ecclesiasticis Præfules, dict. cap. si Imperator, in fin. & ipsi Præfules, ubicunque pro animarum salute sunt vocati, laborem recusare non debent, quia licet, ut scripsit D. August. ad Valentinianum, nihil ꝑ apud Deum, sit miserabilius, tristius, & damnabilius, nihilque in hac vita difficilius, laboriosius, & periculosius, Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi officio, nihilominus apud Deum nihil beatius est, si eo modo militetur, quo debet militari, cap. ante omnia, 40. dist. sed ubi tractatur de sententia ꝑ ultimi supplicij promulganda, interesse, nec consentire debent, alias pœnam irregularitatis incurrunt, & sunt deponendi, cap. ex litteris s. nos autem. & ibi gloss. in ver. corporalem & in ver. cedat. de excess. prælat. nisi sint dispensatione, aut privilegio Papæ suffulti.

Quintò, venatio ꝑ est prohibita, cum Episcopis, presbyteris, aut diaconis canes ad venandum, aut accipitres, vel alia similia habere non liceat, & si qui talium personarum in hac voluptate sæpius deventi fuerint, si Episcopus, tribus mensibus, presbyter duobus, à communione sunt suspendendi, diaconus verò ab omni officio, & communione suspendi debet,